ORATIO FVNEBRIS

HABITA IN ECCLESIA
Cathedrali Christi Oxon
in Obitum viri omni ævo dig-
nissimi GVLIELMI
GOODVVIN *istius*
Ecclesiæ Decani, S.
Theol. Doctoris.

A THO. GOFFE *Artium Ma-*
gistro ex Æde Christi.

Editio Secunda.



OXONIÆ,
Excudebant IOHANNES LICHFIELD,&
IACOBVS SHORT. 1620.



AD LECTOREM.



Beunt ſemper, Lector, ac recedunt à morientibus voces illæ, quas aut adulatio, aut ancillantis facundiæ neceſſitas exprimit: abeat ita, & à ſchedula hac, (quâ venerabile nomen implicatur) ingenioſa malignitas, ne non tàm chartam lacerare meam, quàm in dormientis manes ſævire putetur, & tanti nominis vmbra *ceſſante Fato, ingemat,---*

---Tumulo quoq; ſenſimus hoſtem

Non meæ, ſed defuncti conſului famæ, ne totus moriatur, quem, tanti erit bonis, vivere vel ſic, & *hôc ſanè non poſſum non mihimetipſi (abſit invidia verbo) gratulari, imò & maturior ætas & ſecunda pueritia,*

Hunc ego ſi poſſim tantum ſperare dolorẽ *honeſta tumeat ſuperbia, tyrocinium meum, bonum illum Decanum, primâ, quâ tunc temporis potui, ſolennitate, in Æde Chriſti, ſalutaſſe, & vltimũ* valedicendi *munus pro virili adminiſtraſſe:*

229

In peiorem, si quis officium hoc, rapiat, partem si quis, inutili ambitioni hoc censeat tribuendum, abortivam me hanc & immaturam prolem in lucem emisisse, hoc crimen sic à me amotum esse volo, hoc sciat velim, GOODWINUM *me vidisse morientem, contenta erit oratio mea, suâ lingua, id est* funebri.

T. G.







EST verè fortunatus ille, cujus ex interitu, non minor penè ad omnes, quàm ad suos venturus est, dolor pervenerit. Video (Academici) video officiosam istam nescio quam ambitionem, lugendum hoc spectaculum vel adhuc ita comitari vt vnusquisq; luctibus & lacrymis suis credat accedere quandam dignitatem, si miserrimus esse videatur. Neq; tamen levius hoc dolentis zeli certamen, & pietatis huius nostræ litem minùs nobilem judicetis, quod frequenti verborum singultu, fœlicem vmbram fortunatamq; favillam prosequuti sumus;

Est aliquid fatale malum per verba levare.

Nec adhuc iterato venerandi illius nominis murmure, purgatæ vestræ aures satientur, quæ perennem sæpius pietatis vbertatem ex illius ore dimanantem imbiberunt. Nec miseriarum cumulo hoc etiam mortalitati nostræ novercalis addidit Natura, vt in eosdem homines semper convenirent calamitas & silentium. Enimvero si ad calculum ponatur hæc jactura;

credetis pij nos officij memoriam impia taciturnitate corrumpere, dum imminenti penè ruina corruamus omnes, cladem q; talem paucorum tantùm lacrymis decorari patiamur. Quod sanè paulò mecum altius mihi meditanti, nescio quis amabilis adblanditur error *Goodwinum* nos nondum amisisse nostrum; in Musæo se fortè ad tempus more suo abdidit, vbi numerosa patrum volumina perscrutatur, vbi divinis sanctioris paginæ mysterijs extra se arripitur; hîc cum *Augustino* suo, & verè suo familiares confert sermones, ibi aurea *Chrysostomi* evolvit folia, *Bernhardum* mira florum varietate vestitum deosculatur, aut de contextus origine *Hieronymum* est consulturus, vel fortè dum diu moratur nimis, inextricabili *scholasticorum* labyrintho coarctatur, totamq; vno haustu devoraret Theologiam, sacer librorum helluo: hæc nimirum ipsum tenere solent negotia, hæc vota ipsius meditationum; Et quid sibi aliud vult iste apparatus? Quid pullatis vestibus induta rostra? Quid frequens iste Academicorum concursus? Expectant credo *Decanum* nostrum exequiæ *Henrici Principis*, vel *Annæ Reginæ*, expectant illum funera *Bodleiana*, expectant justa *Spenseri*, *Singletoni*, *Ayrij*, quorum novissimas solennitates ab ipso solummodo celebratas ipsi novistis Academici. Et tandem, cum per præcepta sua toties effusa lon-

gum

gum iter ad æternitatem nos non vidit ſuſcepturos, brevius fecit per exemplum *ſemetipſum.* En homo quemadmodum jacet! en ille in cunabulis generoſus, in tyrocinio (quod non in minimo laudis genere ponendum eſt) regius *Weſtmonaſterienſis* alumnus, Sacratiſſimæ *Elizæ*, & ſereniſſimo *Iacobo* à ſacris, *Ædis Chriſti Decanus, Academiæ Oxonienſis* per quatuor annorum curricula *Vice-Cancellarius,*

--- *hic tumulus illi eſt*: Non ſuſtineo in tanto animi impetu argumenta conquirere, nec cadit in formulam publicus dolor. ferenda eſt vt in cæteris hæc quoq; rerum naturæ iniuria, quòd tantis meritis paria verba non accommodavit. Suggerat, alma ſuggerat mater *Academia*, quam in ſecretas vniuſcujuſq; aſtantium aures audio inſuſurrantem, fuiſſe eum hominem virtuti ſimillimum qui invitavit omnes ad optima queq; clementia, & blandiſſimè juſſit benignitate, qui non imperium credidit gravius aut ſtabilius vi quod fit, quam quod amicitia jungitur, qui patrium putavit potius conſuefacere filios, ſua ſponte recta facere, quàm alieno metu, qui tamen mira quadam naturæ varietate, confuſoq; virtutum temperamento, idem aliquando fuit in peſſimè merentes homunciones ferociſſimus

Sed doluit quoties debuit eſſe ferox.

In bonos non mitiſſimus tantum, ſed & benig-

niſſimus

nissimus, qui benignitatem quotidie benignitate cumulavit, & quasi præterita cito fuissent obliterata, si desijsset, non putavit se vnquam benè fecisse nisi iterum benefaceret. Ista, ista, nunc desiderantur incrementa quæ ex hisce rostris ipsius sæpius dictante ore effluxerunt: à quibus cum abfuerit, impotentem, imbellem senem exhaustas vires, exangues venas, deficientes spiritus, languentes nervos, anhelantes periodos non sine languore quodam, aspicere potuimus, eundem in rostris fulminantem, dominantem, imperantem, persuadentem, quasi nova donatum anima, novo infusum vigore admirati sumus, omnem repellentem morbi violentiam, venientem nubibus SALVATOREM ambabus vlnis amplexantem,

Credibile est illum sic voluisse mori.

In rostris mihi credite semper fuit, dum fuit in lectulo, nec antea ex illis quàm è vita decessit. Qualem tandem, qualem, deus bone, animam illius saltasse præcordijs judicemus, quæ ad extremum vsq; halitum, totas suas vires effudit, totas summa cum fortitudine exercuit: suis omnibus munita præsidijs, rationis, memoriæ, intellectus, sensusq; omnis satellitio stipata fuit: nec invtilis telluris moles, nec crassiora corporis pondera flammeum istius vigoris impetum potuerunt extinguere, adeo deficiente omni organo adhuc suas non missas

fe-

fecit operationes divinior ἐντελέχεια,

----Non perdere læthum

Maxima cura fuit --

Quod si morientium verba altiùs solent insedisse altis insideant radicibus infixa morientis illius oracula, mysteria, consilia, à quibus certiores facti sumus quàm omnis nos hora applicat fato per tacitos silentesq; cursus, quàm per exigua festinantis æui momenta præmorimur. Si cuncta gaudia nostra, si voluptates, & quæcunq; ex hac vniuersitate mundi vel solicitant aspectu, vel blandiuntur vsu, excutiamus, tota vita hominis vnus est dies. Nouit, nouit ille renuntiare rebus humanis, nouit, incusare Deum vel hominem eius esse qui viuere velit. Jn extremis tandem vehementi charissimæ conjugis fletu, & liberorum gemitu è placido sopore evocatus verbum tantùm vnum addidit, *Veni Domine Iesu, veni cito*: Sic non reddita fuit illi vita, sed tempus, & ipsa cupiditas ratioque moriendi hoc ipso quo impedita fuit, accreuit: sic solus vixit quoad voluit, dum mori semper maluit. Quod si humanæ vitæ conditionem præcipuè vltimus dies continet, ipsum revocate in memoriam diem. Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis memoria celebrem, istius etiam fato paulo celebriorem, & ne tenebras penè Cymmerias horreamus dum tantum vidimus lumen extinctum, ipsa dies paulo sese altius vltra

præcedentium, vltra ſequentium protraxerat lineam

Hac fuimus minima contenti nocte Britanni, & extenſam cœli lucem, luce noſtra compenſauimus,

Reſq; domi geſtæ, properataq; gloria rerum
In ſydus vertere novum, ſtellamq; comantem.

Antequam noſtræ valedixiſſet ſocietati, cum Deo familiaritatem inijt, priuſquam mortalitatem exuiſſet, immortalis evaſit, & citius ſacros Angelorum hymnos in cœleſti choro decantare cepit, quàm ſermoni inter homines periodum impoſuiſſet;

---quem nunc ſtatione peracta
Aſtraq; ſcandentem prælati regia cæli
Accepit gaudente polo---

Exultes tandem pientiſſima mater *Ædes Chriſti*, inſolito triumphes gaudio. Fuit, fuit quondam fateor tua omnium ore iactata fælicitas, feracem te Præſulum eſſe nutricem, te ſemper tuos ante hac Decanos, in Præſules, & veneranda Eccleſiæ columina enutrire,

Hæc domus quæ cælites recepit, & quæ fecit,
Et fas ſit loqui, fortaſſis et iam faciet, alios in Epiſcopatus, GOODWINVM prius in cœlos tranſtulit, & ad illud dignitatis extulit faſtigium quod nec nutu regum, nec morum varietate, nec temporis viciſſitudine, nec vllo mortalitatis fato afficitur. Nec hic *Decanus* diutius viuere

re voluit, qui ibi ſemper ſe victurum pro certo habuit. Qui cum hic fuerit *Bonus Ædis Chriſti Decanus*, & hoc cognomine bene notus, *Bonus Ædis Chriſti Decanus*: Optimus ſemper ſic fuit, ſed non maximus, ergo in conſpectum ſolius *Opt. Max.* ſe contulit; ad cujus devolutum genua illum videre videor indefeſſa effundentem vota, vt nobis tandem alter ipſius clementiæ, bonitatis, manſuetudinis, religionis accedat ſucceſſor. Nobile enim *Decanorum* Par, *Reverendiſſimum Londinenſem Epiſcopum* adhuc ſuperſtitem, & nuperrimum GOODWINVM ætas noſtra vidit, vt alium vix feramus niſi optimum; adeo facilius credendum erit, vt eſſe aliquis ipſorum ſucceſſor eſſe poſſit, quàm vt velit. Sed nondum ingrata nominum perturbatione ſoles orientes adorabimus; omnes vivendi ſubtilitates deponat neceſſe eſt, qui te vidit morientem, quem non mihi tantùm, ſed vobis ejuſdem ætatis & conditionis, Academici, ingens propono ſpectaculum, & vobis purpurata (præ ætatis maturitate ſaltem fato vicinioribus) *Doctorum* cohors, & tibi tantæ *Cathedræ Moderator*, qui cũ omnes enodaueris diſputationum laqueos magnum moriendi ſtudium à moriente *Socero* non erubeſces didiciſſe. Mortuum hunc *Decanum* omni propagandum ſæculo, nulla obruendum vetuſtate propono grande moriendi exemplum: Invertamus

Dr. *Prideaux* Regium in Theologia Profeſſorem, & Vicecancellarium Academiæ.

203

tamus illud Philosophi, optimum est non nasci proximum citò mori; bonum fatemur est nunc nasci, optimum sic mori. Et tacitos nescio quos susurros ab vniuscujusq; ore audio obmurmurantes,

Cum mihi supremos Lachesis perneuerit annos
Non aliter cineres mando iacere meos.

FINIS.

